

est, bonarum literarum, ac historiae patriae potissimum, atque ejus antiquitatum ita eximius amator fuit, ut cum ei per intervalla liceret, se ad earum studia referret. Certe illas ita habuit cognitatas, ut nulla lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris populi Subalpini esset, de qua ipse non apprime dissereret. Quis autem tanti Viri antiquiorum temporum scientia praestantis consuetudine utens non in harum studio accenderetur, non in eo permaneret?

Alterum vero singularis tuae in me benignitatis argumentum fuit cura illa, atque sollicitudo, qua quidquid e re mea fore putabas illud perhumaniter ad me quam citissime trans mittebas. Neque enim sine voluptate recordor illius epistolae, qua significabas ab heredibus Laurentii Burgontii Canonici Alexandrini, atque Episcopi Mercurini Arborei Gattinarae Vicarii Generalis, qui totum fere vitae suae tempus Ecclesiae suae, ac civitatis documentis colligendis consumserat, nonnulla ejus Miscellaneorum volumina (VIII. XXXV. LIX.) impetrasse, atque ut ad me deferrentur curasse diligenter. Quantum vero ex illis profecerim, quam amplam ex illis documentorum segetem messuerim, haec mea Aquensium monumentorum collectio palam omnibus facit, quae illorum adjectione ita excrevit, ut parum abfuerit, quin ad sui fere complementum perduceretur.

Hoc autem aberat, ut multa prout superius innui, quae ex Aquensibus tabulariis excerpseram, vel ex imperfectis exemplaribus descripseram, integra extraherem, supplerem, atque ex aliorum, quae ibi invenire facile erat, collatione emendarem, ut nonnisi ad omnem exactitudinem, ac sinceritatis lancem pensitata in publicum ederentur, et historia non aliis quam istis accuratissimis, atque indubitatis testibus superstrueretur. At haec aliaque praeterea, qua a tua liberalitate, ac gratia expectare mihi commoda fas erat, ex tui ad Monregalensem Ecclesiam translatione intercepta mihi fuerunt. Laetatus equidem sum haec tibi fauste contigisse. Quis enim in tanta Regis nostri tibi, fratrique tuo gratificandi voluntate, quanta in hac et amoris, et beneficentiae significatione continebatur, haud gauderet? at hinc nova operi objecta impedimenta. Nam et tibi in hac causa mihi juvandi copia, et mihi tuis beneficiis, tuaque propensa in me voluntate fruendi commoditas fuit sublata. Ceterum et aliud quoque ex improvise huic operi cecidit adversi. Cum enim bis Theologiae moralis stadium, quod quatuor annorum curriculo stata lege absolvitur, emensus fuisset, ex Regis decreto ad praefecturam tunc obitu C. V. Jordanae ex Theologorum collegio vacantem in R. Nobilium Accademia, ubi jam sexennio sacris praesueram, regendam accitus fui. Hoc autem munus quantum postulet temporis, ac diligentiae norunt illi, qui ex animi conscientia illo perfuncti sunt. Quid autem agerem, vel quid consilii caperem? differrem ad meliora tempora? at pudebat tamdiu differri opus, et jam tribus ab hinc lustris inchoatum, et in magna exspectatione positum ad tardio rem aetatem prorogare. Insonabant auribus multorum voces, quibus monebar jam ab alio quopiam praecupatam iri materiam, qui et hanc mihi multis sudoribus, ac vigiliis impensisque haud exiguis prope partam laudem praeripere